



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An pueri subiacea[n]t legibus humanis quoad culpa[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

flor. disp. 3. Idem de mutis & surdis, etiam à nativitate.
Sic Diana p. 6. tr. 6. ref. 7. tum quia hi solent esse perspicacioris ingenij: tum quia satis est, si mediocri rationis usu potiuntur; ex Sanch. de mar. lib. 2. disp. 8. num. 12.
 Neque obstat prædictos omnes aliquando debiliore rationis usu pollere, quam polleant pueri ætates, v. g. quibus nonnulli, ut infra dicemus, communionem incedunt: non obstat, inquam, nam pro his est spes perfectioris iudicii, quo habito ab Eucharistia non excluduntur: at illis, cum non sperentur meliorandi, sequitur deneganda esset, quod non patitur pia mater Ecclesia. Semifatis, aliquando, non semper, ne ex frequentia concipiant irreverentiam, ut notat Ianuarius, p. 1. Ref. 17. Hi qui usum rationis habuerunt, quem deinde amiserunt, nec constat amississe in peccato mortali, non esse denegandam Eucharistiam in articulo mortis, immo & aliquoties extra illum piæ, & probabiliter, docet Villalobos in *manual. c. 4. n. 17.* præsertim si retinent reverentiam huic Sacramento debitam, luceque aliqua rationis, ut modo dixi, fruantur aliquando: quales plerumque sunt Religiosi, qui quavis in amentiam incidunt retinent feres semper bonos habitus.

Bauci in *sing. casu. 174.* ait amentibus ab infantia non esse dandam Eucharistiam, quia iudicandi sunt perinde acque infantes. Rectè. Ita enim docetur communiter. Verum ibid. addit apud Layman. de *Euch. c. 4. num. 4.* iis qui post usum rationis in amentiam inciderunt. Eucharistiam dandam esse dumtaxat in mortis articulo, citatque Conc. Arausican. & Cathag. quod refertur *causa. 26. c. 6. 7.* Sed in hoc textu, in quo est quidem sermo de sumpt. Euchar. solum habetur de re nostra. Amentibus etiam quæcumque pietatis sunt conferenda sunt: quare illud (dumtaxat in articulo mortis) vel de suo addidit Bauci, vel sumpsit ex Glossa ibidem marginali, id quod, ut vidisti, non approbat valde piæ Villalobos.

Hi omnes de quibus in hoc § locuti sumus, ita deum obligantur communicare in Paschate, sicuti pro iudicio, quod participant, sunt obligationis capaces. Debitur tercio de phreneticis, scilicet de iis, qui habuerunt usum rationis, instante tamen morte, amentes fiunt. Sed de his proprius locus est paulo post c. §. 9.

Dubatur quarto de pueris, de quibus iam subdo.

§. II. Postquam ad annos discretionis pervenerit.

Vbi, an Impuberes lubdantur legibus, & pœnis latis ab homine.

¶ Nantibus nostra hac ætate, non esse dandam Communionem, saltem ex tacito Ecclesie præcepto certum est.

Dubium ergo superest, de pueris usum rationis jam attingentibus. De quibus duplex est sententia: Prima dicentium majoris discretionis usum requiri, ut puer Communionem quam ut Sacramentaliter confiteatur. Ita Suarez, alique cit. à Ioan. Sanchez *mor. citando.* Ratio est, quia in dicto cap. *Omniis unusque*, præceptum confessionis fertur absolute, semel in anno confiteatur. Unde satis est communiter ætas inter septimum, & octavum annum quando incipit discretionis usus: at præceptum communionis fertur cum restrictione reverentiae, suscipiens reverenter Eucharistia Sacramentum. Quare requiritur (inquit hac sententia) ætas inter decimum, & decimumquartum, quando scilicet, secundum iudicium Confessoriorum, & multo maius parentum, qui melius filios norunt, æstimantur sufficienter discernere inter cibum, & cibum, &c.

6. Secunda sententia est dicentium eandem ætatem ad Communionem sufficere, quæ ad Confessionem: nempe aliquanto plus, quam septennium. Ita Ioan. Sanchez in *sel. disp. 16. Castrop. de legib. disput. 1. p. 24. §. 2. num. 7.* non enim minus debet puer pro confessione discernere, quia, qualisve debeat esse dolor peccati.

Part II.

totum, quanta sit offensa Dei, quo animo petenda venia, &c. quam pro Communionem, quid sit cibum ille, quæ quantæque devotio requiratur, & similia. Cum ergo ad illa cognoscenda satis sit ætas intra septem, & octo annos; eadem sufficere ad hæc.

Utraque sententia est probabilis: unde sequitur à te posse obligari puerum post septennium ad Communionem Paschalem, cum posteriore sententia: posse eximius, usque ad decennium, & aliquando plus, cum prior.

An pueri subiaceant legibus humanis, quoad culpam.

7. Sed jam hic solemne illud resolvendum est dubium, Sæ pueri qui ob perfectum rationis usum in utraque sententia possunt, debeant tamen sub reatu peccati mortalis, & sub pœnis ab Ecclesia inflatis ante pubertatem communicare. Hæc difficultas petit universales illas duas. Quæst. Primò, an ante pubertatem pueri subiaceant legibus humanis, quoad culpam. Secundo, an iisdem subiaceant, quoad pœnam: quas breviter discutere abs te non erit.

8. Quod ad primam: fuerant quidam, qui affirmarunt pueros, usque ad decimum quartum annum, & puellas, usque ad duodecimum compleros (tunc enim est terminus, in quo incipit pubertas, ante semper dicuntur impuberes) non teneri legibus humanis, etiam Ecclesiasticis, ne quoad culpam quidem: unde contra agendo, non peccare.

Nam propterea forte Emmanuel Sæ in genuina antiqua impressione V. Confessio num. 3. in meo Codice impresso Venetiis 1601. apud Ioan. Baptista. Ciotum sub signo Aurora, sic habet. *Et si, quidam putant teneri ad confessionem, qui habet usum rationis, scilicet cum pudet malefacti, tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem.*

In hoc tamen Emanuelis dicto advertendum est, in emendatis novis impressionibus, addita fuisse aliqua verba satis restrictiva, in hunc modum: *Tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem, quoad penas non continentibus impositas.* Id quod est longe diversum à germano Emmanuelis dicto.

9. Præterea Henriquez lib. 8. de *Euch. c. 42. n. 4.* putat Ecclesiæ præceptis non obligari pueros statim, ac usum rationis habent: & lib. 3. de *excom. c. 49. n. 2. lit. N.* asserit dari his Medicinam, in die junij, licet habeant usum rationis. Quantum autem, ut obligentur expectandum sit, nequaquam decernit. Denique Sotus in 4. *dist. 12. q. 2. à 11.* favetque ex parte S. Antoninus 2. *p. tit. 9. c. 8. §. 6.* affirmat usque ad duodecimum annum non teneri pueros ullis Ecclesiæ præceptis; & consequenter, nec confessionis.

10. Vera tamen sententia docet pueros statim ac usum habent rationis; humanis, atque adeo Ecclesiæ legibus stringi, nisi forte expressè eximantur: certe à præcepto jejuni, usque ad vigesimum primum completum, eximuntur. Ratio convincens est, quia puer eo ipso quod usum rationis participat est capax obligationis legis humanæ, sicuti est capax legis naturalis, & divinæ: ergo non est unde eximantur quando lex fertur pro omnibus nec ipsi excipiuntur. Ita communiter D. D. Salas, Suarez, Azor. alij, &c. quos citat & sequuntur Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. p. 6. n. 8.* Sanch. lib. 1. in *decal. c. 12. n. 6.* quæ expressè loquuntur de præcepto auditionis Missæ, de abstinentia à carnibus, de præcepto Confessionis annuæ. Et quidem de hac confessione videtur minus esse dubitandum: siquidem Canon, *Omniis utriusque sexus*, videtur hos comprehendere, cum præcipiat, ut omnes Fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, semel in anno confiteantur si sibi sint conscij peccati mortalis: at hi pueri ad annos discretionis pervenerunt, ut supponimus.

An pueri subiaceant legibus humanis quoad penas.

11. Quoad secundam, quæ est difficilior disputatio, & controversa magis, triplex est sententia.

G 3.

Prima